

**N**Isum est autem his omnibus addere quædam ex volumine Alcorani & ipsius refutatione transcripta, ex quibus quanta sit hodie in Oriente vastitas Ecclesiæ: quantique errores, & quam saevi pro vera fide regnent etiam inter eos, qui Christianum nomen illic sibi assumunt, luculenter apparebit. Sic igitur illa se ad verbum habent.

Denique gens Christianum nomen profitem, vniuersa diuisa est in decem nationes, & velut diuersas eiusdem tamen religionis profesiones præcipuas.

1 Latinorum, qui parent imperatori Germaniæ, & Romanæ ecclesiæ: vti Germania ipsa, Gallia, Hispania, Italia, Anglia, Scotia, Polonia.

2 Græcorum, qui imperatori Græco parebant olim, & nunc Cōstantinopolitano Patriarchæ, qui non obediunt Romanæ ecclesiæ.

3 Indorum, siue Æthiopum, quorum princeps est Presbyter Iohannes, in cuius terra est corpus sancti Thomæ. Hic habet sub se reges septuaginta duos, & quando progreditur aliquò, crucem lignam ante se portari iubet: quum in bellum it, duodecim cruces aureas.

4 Iacobitarum, à Iacobo hæretico discipulo Alexandrini Patriarchæ. Sunt in Oriente, Chaldaea & Arabia multi. Circunciduntur & ferro candente fibi suisque crucem imprimunt. Aiunt in Christo tantum esse diuinam naturam. Soli Deo confitentur. Damnati concilio Cedensi.

5 Nestorianorum, à Nestorio hæretico Constantinopolitano episcopo, qui duas in Christo personas posuit. Tartariam habitant latissimā, & in India maiore. Conficiunt corpus Christi in fermeto.